



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

40. de actibus exterioribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

liter, bonus est & iniquitatum malum vult,
malus est.

DE ACTIBVS EX-
terioribus.

DISTINCT. Quadragesimæ
CAP. Primum.

*Actus exteriores ex voluntate bona
vel mala speciem
accipiunt.*

*De causis
actus ex-
terioris.*

Licet secundum quosdam omnes actus
boni sint, inquantum naturaliter sunt,
non tamen absolute dicendi sunt om-
nes boni: quoniam & quidam sunt simpli-
citer mali. Nam simpliciter sunt boni actus
illi, qui bonam habent causam & intentio-
nem. i. voluntatem bonam comitantur, & ad
bonum finem tendunt. Mali vero simplici-
ter dicuntur, qui peruersam habent causam
& intentionem. Vnde Ambr. ait: *Affectus*
tus operi tuo nomen, imponit. & Christus
in Euang. Non potest arbor bona fructus
malos facere, &c. Nomine autem arboris vo-
luntas intelligitur, quæ si bona vel mala fue-
rit, bonos vel malos fructus facit.

*Lib. I.
offic. c.
30.
mat. 7.*

CAP. Secundum. *Non omnes actus
sunt indifferentes ad bonitatem
vel malitiam, sed qui-
dam sunt per se
mali.*

Quibusdam ita videtur esse, qui dicunt
 omnes actus esse indifferentes, vt nec
 boni nec mali per se sint, sed ex
 intentione bona bonus, & ex mala malus
 sit omnis actus. Aliis autem videtur, quòd
 quidam actus in se mali sint, ita vt non pos-
 sint esse nisi peccata, etiam si bonam habeant
 causam: & quidam in se boni, ita vt etsi ma-
 lam habeant causam, non tamen boni esse
 desinant. Quod testimonio August. confir-
 mant, qui dicit bonum aliquando non bene
 fieri. Quod enim quis inuitus vel necessita-
 te facit, non bene facit: quia non bona in-
 tentione facit, vt ait August. super Ioh. & sic
 tripartitam edunt isti differentiam actuum.

Sed August. euidentissimè docet in lib.
 contra mendacium, omnes actus secundum
 intentionem & causam iudicandos bo-
 nos vel malos, præter quosdam, qui ita sunt
 mali, vt nunquam possint esse boni, etiã si bo-
 nam videantur habere causam: quia quæ ma-
 la sunt, nulla bona intentione facienda sunt.
 Illa autem quæ per se non sunt peccata, pos-
 sunt esse bona vel mala, si bonas vel malas
 habeant causas. Ideoque cum ex effectu di-
 citur nomen imponi operi, in bonis operi-
 bus generaliter vera est hæc regula: sed in
 malis excipiuntur illa, quæ per se mala sunt.